



1. Joach. Hildebrandi, Dissertationes  
nes 20. Helmstedij 1672
- a. de presentia, usu, et  
scriptoribus theologiae
  - b. de constitutione et divisione  
theologiae
  - c. de authoritate S. Scripturae.
  - d. de Deo, et divinis attributis.
  - e. de S.S. trinitatis mysterio.
  - f. de morte corporis, et statu  
animae post mortem.
2. H. de creatione universi.
- i. g. de resurrectione
  - j. de Angelis.
  - k. de Imagine Dei.
  - l. de peccato originali

THESES ET ANTI-  
THESES

DE COENA  
DOMINI EUCHARI-  
STICA: IN QVARVM ISTIS,  
DE DOCTRINÆ LUTHERANÆ

VERITATE. IN HIS DE SACRA-  
mentarij fermenti impuritate, in hoc  
religionis Christianæ capite  
disputatur.

SCRIPTÆ

PRO EXPLICATIONE AC  
DEFENSIONE ARTICVLORVM  
IN VISITATIONE MISNICA PROPOSI-  
torum, aduersus ea, quæ carpere in istis nuper  
DANIEL TOSSANVS Sacramentarius  
Heidelbergensis impudenter  
ausus fuit.

*In quibus disputandis*

SVB PRAESIDIO

GEORGII MYLIIS.  
THEOLOGIE D. ET PRO-  
FESSORIS IN ACADEMIA IENEN-  
si primarij, DEO benè iuuante, re-  
spondere conabitur

M. NICOLAVS ROSTIVS  
VINARIENSIS AD DIEM IV.

Augusti, Anno 1593.

Hora & loco consuetis.

IENÆ  
Typis Tobiaë Steinmanni.

13-3

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



ARTICVLVS PRIMVS  
DE COENA DOMINI.

POSITIO I. VISI. ANTITHESIS FAL-  
TATORIA. SAM DOCTRINAM CAL-  
uinistarum continens.

*Verba Christi, accipi- Verba Christi modò  
te, edite, Hoc est corpus posita figuratè esse acci-  
meum. Bibite: Hoc est enda, & non sicut so-  
sanguis meus, simpliciter nant.  
& iuxta literam, ut so-  
nant, siue *κατά τὸ πρῶτον* intel-  
ligenda esse.*

T O S S A N V S I N  
T H E S I N I.



*Errant, qui verba Christi, quæ sunt,  
Sacramentalia, nec iuxta subiectam materis  
am, nec iuxta Christi interpretationem, Hoc  
facite in mei recordationem, sed simpliciter, ut  
sonant, sine observatione tropi in doctrina Sac  
ramentaria usitati, accipienda esse contendunt.*

I D E M I N A N T I T H E S I N I.

*Verba Christi, Accipite, comedite, hoc est corpus meum,  
Bibite, hoc poculum est sanguis meus, cum sint verba instituti-  
onis Sacramenti, sacramentaliter, hoc est, iuxta rationem &  
prædicationem Sacramentalem intelligenda esse asserimus.*

A a

Respon-

## RESPONSIO I.



PROPOSITIONEM ORTHODOXAM ET  
Euangelicam Tossanus notatiuncula margi-  
nali flagellat primùm, quæ sic habet: VVir-  
tembergici Theologi in refut. consensus or-  
thodoxi aiunt P. 99. Nec se sentire, nec  
Lutherum vnquam scripsisse, Panem esse  
substantialiter & propriè corpus Christi; sed Sacramen-  
taliter. Sic nimirum manifesta contrarietatis nota, con-  
fessionem vtriusq; Ecclesiæ impacta esse creditur.

2. At perperam creditur. De diuersissimis enim rebus  
vtrubiq; sermo est. Thesis præsens de sensu vocabulorum  
singulorum agit. Theologorum VVirtembergicorum as-  
sertio de modo prædicationis disserit. Differunt autem  
plurimum, vocum singularum significatio: & modus præ-  
dicationis, qua in propositione integra, subiecto prædicati  
fieri solet attributio.

3. Cum igitur de pane, corpus Domini dicitur siue  
prædicatur, sentit sanè Lutherus, sentiunt Theologi VVir-  
tembergici, sentiunt Ecclesiæ Misnicæ, sentiunt omnes  
Orthodoxi, Modum prædicationis esse non substantialem,  
non proprium siue vsitatum.

4. Si hinc inferat Tossanus, Ergo verba singula pro-  
positionis itidem non esse propriè intelligenda: aut cum  
modo prædicationis inusitato, singularum verborum pro-  
prietate statuta, contradictionem implicari arguat: vitio  
consequentiae, & plurium quæstionum à vera ratione gra-  
uissimè aberrabit.

5. Imò inusitatam prædicationem non reperias: nisi  
in simplice ac propria siue vsitata singularum vocum signi-  
ficatione, quam si ad improprietatem aliquam & figura-  
tum

tum sensum inflectas: illicò inusitati modi rationem in præ-  
dicatione omnem sustuleris.

6. Exemplo res ista fieri potest manifestior. In perso-  
na Christi Deus de homine, homo de Deo prædicatur,  
modo utiq; prædicationis non vsitato, siue regulari. Col-  
lige tu hinc Tossianico more, in verbis singulis tropi ob-  
servationem retinendâ esse. Iam illicò in hæreticorum ca-  
stra abieris, Manichæorum quidem, si in nomenclatura  
Hominis; Arrianorum, si in voce Dei: Eutylianorum,  
si in copula enuntiationis, figuratum sensum collocaueris.

7. Iam non fit causa Sacramentariorum melior, si lin-  
gua sua ad Lutheri atq; Ecclesiæ purioris eloquium ac-  
commodata, Panem Eucharisticum, corpus Domini Sa-  
cramentaliter esse inquam: In vnus enim atq; eiusdem  
vocabuli vsu, sensus utrobq; maxima est diuersitas.

8. Luthero Sacramentaliter idem sonat, quod Mysti-  
cè. Proprio enim siue vsitato ac substantiali modo prædi-  
cationis illud Sacramentaliter opponit. Et in Ecclesia no-  
stra pro mysterijs habentur Sacramenta, non eo potissi-  
mum nomine, quod aliud sensui, aliud menti seu spiritui  
hominis proponant: quo respectu minimè Tremenda ea  
appellatura Antiquitas fuisset; sed quia ordinem naturæ  
transcendentia intellectum humanum omnem superant.

9. Sacramentaliter autem Sacramentarijs idem valet,  
quod significatiue. Nam Sacramenta ipsis signa sunt: sa-  
cra quidem illa, si finem & terminum spectes, quem illa si-  
gnando respiciunt; sed in materia solam *αἴσιον*, & supra na-  
turam nihil habentia, quo modo præter vulgaria religio-  
nis nostræ mysteria sublime aut tremendum Sacramenta  
nostra nihil retinent.

10. Quod punctim primùm fecerat, hoc cæsim facit Thess.  
postea Tossianus, & verba Christi, Accipite, comedite. Hoc

est corpus meum &c. cum sint verba institutionis Sacramenti, Sacramentaliter, id est, iuxta rationem & prædicationem Sacramentalem intelligenda esse asserit.

11. Tria nobis examinanda Tossanus suggerit. 1. assertionem. 2. *διλωσιν* assertioni additam. 3. argumentum.

12. Primum verba Christi Sacramentaliter esse intelligenda asserit. Linguam & idioma suum mutat, non autem mentem corrigit gens Calviniana. Quondam figuratè, tropicè accipienda esse distabant, quam loquelam nondum planè dedidicit Tossanus, vnus ex veteranis, dum obseruationem tropi, thesi negatiua disertè etiam expressit. Verùm hæc loquela in summo religionis Christianæ mysterio in odium piarum mentium iamdudum abiit. Huic malo id remedium Calvinistæ inuenerunt, vt pallio augustæ ac religiosæ vocis errorem suum induerent, sub quo tamen impietatis sensum pristinum abderent. Sacramentaliter igitur nunc verba Christi accipienda esse aiunt. Si vrgeas ipsos, si premas, si omnia excutias, Calvinisus in suo vocabulario Sacramentaliter idem sonat, quod figuratè atque tropicè. Id quod in sua antithesi Tossanus ipse testatur.

13. At nos contrà sic argumentamur.

Si sacramentaliter verba institutionis accipienda sunt: consequens est, figuram ibi locum non habere.

At verum prius. Ergo.

14. Connexum maioris probationem manifestam habet. Sacramentale enim dicitur, quod mysticum est, quod singulare, quod inusitatum. At in figuris nihil incit mysterij, nihil inusitati; sed ita vulgaris est earum doctrina, vt in ludis etiam puerorum, & triuiali scholarum puluere resonet.

Iam



15. Iam omnes figuratæ locutiones reduci possunt ad regulares. Hæc verò proprietas sacramentali locutioni nostræ minimè convenit. Figuratum igitur & sacramentale se inuicem excludunt.

16. In *δηλώσει* addita, nulla est *δήλωσις*. Obscurum enim atque ambiguum, per obscurum & ambiguum explicatur. Quis enim vulgò nisi ex tripode Sacramentaria accepto oraculo, magis intelligat, quid rationem & prædicationem Sacramentalem appellent, quam quid ipsis vox Sacramentaliter significet?

17. Nobis tamen ignotum non est, quid rationem & prædicationem Sacramentalem nominent. De Sacramentis fit interdum, vt res seu fructus Sacramentorum ipsorum prædicetur, exempli gratia, cum circumcisio foedus appellatur. Hoc figuratè fieri, nemo est, qui ambigit. Quod quia in alijs etiam Sacramentis locum habet: Sacramentarij hinc occasione arrepta, Sacramentale siue rationem & prædicationem Sacramentalem appellant, quæ in Sacramentis vsurpatur.

18. Fit hoc perperam atq; vitiosè multis modis.

19. Primum Sacramentale siue Sacramentalem rationem & prædicationem statim appellare, quicquid in Sacramentis ratione prædicationis locum habet: id verò absolum plane est atq; *ἄλογον*. In Sacramento cœnæ Panis verè esse panis dicitur, Neque id fieri tamen ratione aut prædicatione Sacramentali, ipse etiam Cinglius aut Calvinus dixerit.

20. Iam de Sacramentis omnibus in genere prædicatur, quod sint signa & signacula ratione utiq; siue prædicatione non figurata & impropria: sed simplice atque propriissima. Aut igitur eodem Sacramentalis rationis siue prædicationis genere, prædicatio simplex & figurata in  
Sacra-

Sacramentis continebitur : aut Sacramentalis non fuerit  
appellanda prædicatio , quæcunq; in Sacramentis ipsis de-  
scribendis explicandisue adhibetur.

21. Quod si detur ipsis, quando res Sacramenti de Sa-  
cramento prædicatur, Sacramentalem eam esse prædicati-  
onem, & tum Sacramentale cum figurato æquipollere:  
quid hoc præiudicabit verbis institutionis, de quibus in  
præsenti quæstio est, Accipite, edite, hoc est corpus me-  
um: aut illis etiam, quibus iam assuevit Ecclesia, Panis est  
corpus Christi? Istic de Sacramento integro id, quod est  
aliquid extra substantiam Sacramenti, Res nimirum seu  
fructus Sacramenti prædicatur. Hic non de Sacramento  
integro aliud quid: sed de parte pars Sacramenti prædica-  
tur. Inter quas prædicationes nullam esse ὁμοῦτητα facile  
videt, qui videt aliquid.

22. Ratio assertionis siculnei itidem roboris est. Sa-  
cramentaliter enim (hoc est, Non simpliciter vt sonant:  
sed cum obseruatione tropi) verba Christi, Accipite, &c.  
intelligenda esse Tossanus asserit, cum sint verba instituti-  
onis Sacramenti.

23. Si roboris quicquam habere ratio ista debeat: κα-  
θόλου raturum in Theologia hoc esse θεώρημα necesse est, Verba  
institutionis Sacramentorum singulorum, Sacramentaliter,  
hoc est, non simpliciter, vt sonant: sed cum obseruatione  
tropi intelligenda esse.

24. Videamus ergo, an hoc veritas religiosa patiatur.  
Et primò quidem Circumcisionis institutæ hæc sunt verba:  
Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumci-  
detis carnem præputij vestri, vt sit in signum foederis inter  
me & vos: Infans octo dierum circumcidetur in vobis &c.  
Quænam in his verba intelligenda sunt Sacramentaliter,  
hoc est, non simpliciter, vt sonant: sed cum obseruatione  
tropi? Edissere Tossane. Quid taces?

Gen. 17.  
11.

Exodi

25. Exodi 12. Agni paschalis institutio descripta extat benè longa. Monstrent, quæso, Sacramentarij in his, quæ ad substantiam istius Sacramenti pertinent, quæ verba sint, quæ Sacramentaliter, hoc est, non simpliciter, vt sonant: sed cum obseruatione tropi intelligenda sint.

26. Baptismum Christus his verbis instituit: Euntes Matth. 28.  
19. docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Vbi hîc figura? in qua dictione, tropi obseruatio ponenda est?

27. Iudicent ergo piæ mentes, qua fide cum Ecclesia agant Sacramentarij, nouas in Theologiam regulas atque axiomata inferentes, deducta ex rationibus vniuersalibus, quarum species monstrare, nisi in Vtopia, nusquam possunt.

28. Hactenus vnum Tossani *Ἰπικείρημα*, quo nostram thesin impugnauit, Figuratè esse accipienda verba institutionis, Quia sint verba Sacramenti: ac proin Sacramentaliter, hoc est, figuratè accipienda. Restant duæ, quarum prior sic habet.

Verba Christi sunt iuxta subiectam materiam accipienda.

At res subiecta Sacramentum est. Ergo cum obseruatione tropi sunt accipienda.

29. Primum Coccyssi prioris hæc est iteratio. Deinde iterum *πλεονεξία* terminorum est. Tropicum enim & Sacramentale pro synonymis sumit, quæ sunt diuersissima. Deniq; *βιαιῶ* totum *ψευδογράφημα* corrigitur. Res subiecta, Sacramentum est, hoc est, essentiæ ratione considerata, mysterium est. Ergo tropus in eius descriptione locum non habet.

30. Vltima Tossani ratio sic habet:

Verba institutionis sunt iuxta Christi interpretationem accipienda.

B

At

At Christus ea sic interpretatur, Hoc facite in mei recordationem, Ergo cum observatione tropi accipienda sunt.

De Bap.  
contra  
Donat. l.  
5. c. 1.

31. Calvinus verba ista, Facite hoc, &c. ad actionem pertinere fatetur. Actio usum concernit. Usus vero in parte accidentis est. Bis igitur insulsus est Tossanus, qui verborum istorum, Hoc est corpus meum (quæ ad substantiam in Coena descriptionem pertinent) interpretationem collocat in ijs verbis, quæ usum Coenæ, qui est aliquid extra substantiam Coenæ, describunt, hoc est, Sacramentum ipsum cum usu Sacramenti confundit. Quæ duo probè distinguenda esse, Augustinus alicubi sedulo monet.

## VISITATIONIS II.

THESIS.

ANTITHESIS.

*In Sacramento sunt  
duæ res, quæ dantur si-  
mul accipiunturq; terre-  
na, Panis sc. & vinum:  
cælestis, Corpus & san-  
guis Domini.*

*In Coena nuda tan-  
tum esse symbola. Corpus  
autem Christi tam pro-  
cul abesse à pane, quam  
cælum absit à terra.*

## TOSSANVS IN SECVN- DAM THESIN TH. II. ET III.

**S**acramenta duabus rebus constare, re ter-  
rena, siue signo visibili: & re cælesti, quæ est res si-  
gnificata; cum qua signa analogiam aliquam habent,  
non diffitemur. Verum quia toto genere distant res terrena &  
cælestis: & unio illa, Sacramentalis est unio; non autem Phy-  
sica

sic aut localis colligatio; haud quaquam eodem modo & instrumento percipiuntur: sed altera foris: altera intus percipitur: ut simul percipiantur, legitimus usus accedat oportet, qui fidem postulat; Quae etsi Sacramentum ipsum non efficit; illa tamen sola res promissas apprehendit & nobis applicat.

IDEM IN ANTITHESIN NEO.

2. & 3.

Nuda esse, vel fieri signa Sacramentalia negamus. si Christi corpus in pane non lateat, aut si corporaliter in pane non queratur: sed in caelis, quò eum ascendisse certum est, & unde corporaliter non veniet, donec veniat iudicaturus vivos & mortuos.

Non enim sunt sacra signa instituta, ut in eis lateat caelestis gratia: sed ut testentur, quid nobis detur; nec in his, quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur (inquit Augustinus) quoniam signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significabilia. Idcirco nemo sanus dicet, nudum esse sigillum & meram ceram, si non inclusa in se habeat ea, quae designantur: Nudam circumcisionem, nisi in cultro & resectione praeputij inclusum sit foedus.

Cont. Maxim. l. 3. c. 22.

RESPONSIO I.

**I**N dissensione consensum simulat Tossanus: & inficias assertionem idem in hoc capite dissimulat. Vbi illud notandum probe, tantam esse horum Axiomatum evidentiam:

Sacramentum rebus duabus constare:

In Coena non esse statuenda nuda symbola:

ut illud negare hoc affirmare, ne ipsi quidem Sacramentarij videri velint. Proinde in utriusq; probationem operose hinc incumbere non est necesse. Illud observare operæ

B 2

precium

precium est: Vtrum re ipsa negent, quod verbis asserunt, & vice versa, num facto ipso affirmant, quod verbis inficias ire Sacramentarij videri volunt?

2. Primùm Symbola passim Sacramentarijs familiare est, vt Sacramenta appellent. Quod quamuis à Scriptoribus Ecclesiasticis etiam quandoq; fieri, non imus inficias: non signatorum tamen Sacramentalium respectu id fit, aut quasi illa omnem Sacramenti rationem in se contineant: sed respectu rei inuisibilis.

3. Iam corpus & sanguinem Domini identidem in censu fructus, & pro re ipsa huius Sacramenti computant. Pars autem Sacramenti cum fructu & re eiusdem, vnum esse atq; idem nequit. *Αουσασιαν* ergo manifestam hic committunt, qua nisi sese expediant, fidem nobis candoris in præsentī negotio nunquam facient.

Grynæus  
Probl. p. 2.  
f. 203.

4. Deniq; indignos à participatione corporis & sanguinis Dominici prorsus ijdem excludunt. Atqui vt *εἰς τὸ ἄρμωο* se habet hoc Sacramentum: Aut totū percipitur, aut totum non percipitur. Totum non percipi, hoc est, nullum Sacramentum Coenæ ab indignis percipi, Calvinistarum hætenus non dixit, sensit aut scripsit, quod sciam, nisi vnus, qui Sacramenta fidei, solis fidelibus scripsit esse Sacramenta.

5. Hinc sic concludo ex ipsa Sacramentariorum doctrina:

Si toto Sacramento accepto, corpus & sanguis Dominicus non accipi docetur: hæc pars Sacramenti constitui nullo modo possunt.

Cinglianis indigni toto Sacramento accepto, corpus tamen & Sanguinem Christi non accipiunt. Igitur hæc pars Sacramenti ab illis constitui nullo modo possunt.

Patet

Patet hinc ergo, Sacramentarios, quicquid garriant, quicquid blaterent, se non diffiteri, Sacramentum duabus constare partibus: re tamen ipsa & facto diffiteri, quod se verbis diffiteri, diffitentur. Nugatorium est igitur magis, quod de vnione Tossanus blaterat. Semper enim inter plura, vt minimum duo, est vnio. Eius autem quod vnum est, non vnio: sed vnitas esse dicitur.

6. Est autem erroris huius maior, quam quæ verbis explicari potest, absurditas; imò maior etiam, quam quæ mente concipi possit, impietas. Sic enim statuitur, solo pane & vino, gratiam cœlestem nobis signari: & sic quidem signari, vt huius signationis maior sit, quam verbi prædicati dignitas: imò maior etiam, quam in agno paschali ad signandum perspicuitas.

7. Causa erroris maximam partem inde ortum ducere videtur, quod Sacramenti huius conditionem non intelligunt. Sacramenta visibile verbum, & visibilia gratiæ signa esse à præcis scriptoribus perhibentur. Hoc sic accipiunt Sacramentarij, quasi quicquid ad naturam & substantiam huius Sacramenti pertinet, visibile sit: ita vt quicquid sub oculorum sensum non veniat, in parte substantiæ huius Sacramenti computari nequeat.

8. Atqui non omni sui parte, visibilia esse dixerunt Sacramenta veteres, sed aliqua duntaxat: potissima autem sui parte invisibilia, intelligibilia, mente concipienda.

9. Augustinus citante Beda 1. Cor. 10. In Sacramentis aliud videtur: aliud intelligitur. Quod videtur, habet speciem corporalem; quod intelligitur, fructum habet spirituales.

10. Idem: Sacramenta sunt visibilia rerum diuinarum signacula: sed res inuisibiles in eis honorantur.

11. Chrysostomus: Christus in sensibilibus, intelligibilia nobis tradidit.

De Cas  
rech. rudis  
bus.

Hom. 83.  
in Mattha.

12. Augustinus ad Neophytos; Quod videtis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est corpus Christi, vinum est sanguis eiusdem.

13. Hæc porrò duo vt simul percipiantur, quod legitimum vsum, qui fidem postulat, accedere oportere, Tossanus ait: dogmatisten iterum ex suo cerebro agit.

In Catech.  
Mator.

14. Christus non dixit, Accipite, edite, Si legitimus vltus aut fides vestra accedit: hoc est corpus meum: Sed sic locutus est, Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Hoc perinde valet, inquit Lutherus, ac si dixisset, Siue dignus, siue indignus sis: hic corpus & sanguinem meum habes horum verborum virtute, quæ pane & vino adiecta sunt.

15. Hactenus de primo. Videamus alterum de nudis & non nudis signis in coena. Hic nos minimè pro nostris agnoscimus hæc, Christi corpus in pane latere, corpora-liter in pane quærendum esse, sacra signa eò instituta esse, vt in eis lateat cœlestis gratia, &c. & similia, quæ nobis impingit Tossanus contra conscientiam. His enim rebus ita nuda esse signa sacra nos asserimus, vt quæ nudissima, quippe rebus istis à Christo neuiquam destinata.

16. At geminam interim nuditatem cernimus, in quam sacra signa Tossanus cum gente sua conijcit. Prior est *ὁ κ. προσέειπε*. Signorum enim duntaxat esse docet, vt testentur, quid nobis detur; vt ostendant; vt sint significantia. Altera est *ἐξ ἀφαιρέσεως*: Corpus enim Christi ita seiungit à symbolis, vt nisi in cœlo, quo Christum ascendisse certum est, ante diem nouissimum sit planè nullibi. En Tossane geminam denudationem, qua sacra signa affigitis.

17. Symbolis aliquid ab istis tribui non ignoramus, *ἕτερας* nimirum, respectus, significationes, & similes larvas quæ



quæ σκύβαλα sunt, ac inania ἱερεῖσμάλα. At dum ex signis προσφερομένοις, merè σημειωτικὰ faciunt, & corpore Christi thesauro preciosissimo secluso, nil nisi quisquilias, respectus & χέσεις relinquunt, utiq; nuda relinquunt, signa, esuacuant symbola, raptum committentes quouis sacrilegio atrocio-rem.

18. Sic euacuat signa Martyr & Beza, tam procul corpus Christi à pane abesse scriptitantes, quàm sit à terra ima supremum coelum.

Beza resp.  
1. ad ada.  
Momp. f.  
75. 168.

19. Sic nuda ponit symbola Calvinus, scribens, Quod hinc (ex verbis, Facite hoc in mei commemorationem) nonnulli colligunt, Abesse igitur à Coena Christum, quod memoria non nisi absentis sit: rectè quidem colligunt, secundum hanc rationem, qua Coena est recordatio, Christum ab illa abesse (neq; enim adest Christus visibiliter, neque oculis cernitur, sicuti symbola quæ ipsum figurando, memoriam nostram excitant) Quantum autem ad virtutem, non abest.

Super verba Institue.  
Facite hoc in mei cō-  
memorati-  
onem.  
Marloratp  
f. 228.

20. Euacuat symbola Grynæus, sic scribens, Hæc extra omnem controuersia aleam posita cenlemus. 1. In S. Coena corpus & sanguinem Christi πνευματικῶς ἢ ἐνεργητικῶς, quatenus illud pro fidelibus traditum, hic pro iisdem fusus est, adesse & exhiberi. 2. Realiter quin etiam corpus & sanguinem Christi adesse Sacramentis, si non de ipsis rebus corporeis Aduerbiū intelligas: sed Transcendenter illud sumas, sic, ut id omne significet, quod ad corpus & sanguinem Christi quouis modo spectat.

Problemas  
tum p. 2. f.  
112.

21. Nuda signa statuit Admonitio Heidelbergensis. Queruntur sibi tribui à nobis esum corporis Capernaiticum, qui corpus Christi laceret dentibus. At sæpe est illis responsum, Nos de tali esu cum illis non disputare: sed omnem ingressum substantiæ carnis Christi intra hominum corpora,

Fol. 109.

corpora, quantumuis subtilem, spiritualem, coelestem, supernaturalem vel contraturalem, arcanum & incomprehensibilem fingant aut praedicent, negare tanquam cum verbo Dei pugnantem. En nuditatem extremam.

22. In loco Augustini allegando mala fide utitur Tossanus. Neq; enim de Sacramentis proprie stricteq; sic appellatis, Augustinus loquitur, in quibus utiq; quid sint, semper etiam attenditur: sed de Sacramentis lata significatione dictis, hoc est, signis quibusuis sacris, vel ad sacrum aliquid signandum adhibitis.

### VISITATIONIS III.

THESIS.

ANTITHESIS.

*Fit autem illud hic in terris: non supra in caelis.*

*Christum in Coena esse praesentem tantum efficacia atq; operatione sua: non autem corpore suo: perinde ut Sol radijs & splendore suo in terris his sit efficax: corpus vero solare supra sit in caelis.*

### T O S S A N V S I N T H E S I N I I I .

Coloff. 3.



*T peragitur quidem actio Coenae Dominicae in terris, quemadmodum Evangelij predicatio; non tamen eo fine, ut in terram, & terrena elementa defigantur mentes nostra, aut Christum in terrenis elementis quaeramus; verum ut SVRSVM CORDA ferantur ad Dominum & communionem habeamus cum Christo, qui est in caelis in Regno Patris, ubi est πολιτεια nostrum, & unde eum expectamus.*

Philipp. 3.

IDEM

IDEM IN ANTITHESIN TH.  
Neg. 6. 7.

*Malitiosè eos traducunt Ubiquitarij, qui ratione loci & situs aiunt, Corpus Christi ab elemento panis distare, quantum cælum distat à terra: cum diffiteri non possint, Christi corpus ex terris euectum in cælum, nec descendere in panem; sed manere in cælo, unde eum expectamus.*

*Calumnia est simul & ignoratio graduum presentia, quod clamant Ubiquitarij, nullam presentiam Corporis Christi statui ab ijs, qui presentiam mysticæ coniunctionis cum Christo, & presentiam gratia, virtutis & efficacia credunt, nisi credant corpus corporaliter esse in Pane: nec meminerunt, verba promissionis facta esse ad hominem & propter hominem, pro quo Christi corpus traditum est, & sanguis fusus ad remissionem peccatorum.*

RESPONSIO I.

**I**TERVM labore probationis utrobique tam in Thesi, quàm in Antithesi nos liberat Tossanus, qui & largitur, quod nos docemus, Actionem Coenæ Dominicæ in terris peragi: Et fatetur, quod ab istis doceri nos asserimus, Christum nimirum non corpore suo: sed efficacia tantum & virtute gratiæ suæ in Coena præsentem statui. Quo nomine gratiæ deberentur antagonistæ liberali: nisi idem statim rabidi canis instar reuersus ad vomitum, & raperet iterum, quod largitus fuerat, & negaret, quod confessus erat, insuper furorem, conuictorum latratu pensans etiam.

2. Ac primùm dicit, Actionem coenæ (quam ille supra duabus partibus constare concesserat) peragi in terris. Hic certè vtriusq; partis dispensatio fieri in terris à quouis candido intelligitur. Sed attende, vt mox furtim

C

refert

refert pedem Tossanus. Non tamen eo, inquit, fine, ut in terram, & terrena elementa defigantur mentes nostræ, aut Christum in terrenis elementis quæramus: Verum ut sursum corda ferantur ad Dominum, & communionem habeamus cum Christo, qui est in cœlis in regno Patris. Summa hæc est: Actio cœnæ peragitur quidem in terris; sed tamen sic, ut potissima eius pars, corpus scilicet & sanguis Domini, dispensetur supra in cœlis. Actio igitur cœnæ ipsi non administrationem totius Sacramenti; sed symbolorum duntaxat tractationem significabat. Hæc vsitata illa Sacramentariorum *νυσβητα* est, qui verbis ludunt, sicut nebulones tesseris.

3. Scomma est, obtusum tamen, quod in terram & terrena elementa non esse defigendas mentes nostras additur. Sed ut forex suo proditur indicio Spiritus fanaticus, dum Christum in terrenis elementis non esse quærendum subiungitur.

4. Summi boni nostri depositum in cœlis equidem est repositum. Hinc est, ut huius requirendi causa sursum remittamur. Quò spectat, quod ex Apostolo Tossanus allegat.

5. At media huius requirendi non sursum collocavit Deus; sed nobis condescendit, verbo & Sacramentis nobiscum agens, quæ ad salutem nostram facere posse visa fuerunt. Itaque regenerationem, qua ad salutem aspiratur, quæsiturum non hiabundo ore cælum spectare iussit Dominus: sed ad Baptismi Sacramentum se immediatè conferre: Fidei vacillantis fulcrum flagitantem, non supra nubes euolare; sed ad altare Dominicum accedere, ibidemque corporis & sanguinis Domini refrigerio, animam afflictam reficere. Et hoc tunc non est mentem in terram defigere: sed fidem atque obedientiam medijs illis, quæ iuandæ saluti nostræ Deus ordinavit, piè adiungere.

Fraus

6. Fraus itidem est, quod de regula Antiquitatis oggannitur SVRSVM CORDA. Non enim peregre ablegabantur piorum animæ, quasi fides earum ab actione coenæ ad coelum se se debeat auertere, corporis Christi participationem in idem requisitura: sed interprete Canone Niceno, sic eleuari mentes docebantur, ut non symbola tantum atque elementa hic pro altari *προκειμενα* esse intelligerentur: sed in S. illa mensa agnum Dei positum esse fides agnosceret, qui tolleret peccata mundi.

7. Equidem non diffitemur, corpus Christi euectum ex terris in coelum: quin etiam supra omnes coelos. Largimur vtrò, Idem in panem non descendere. Concedimus haud illibenter, Idem manere in coelo, Si causam & modum addas, qui est proprietatis naturalis & visibilis conuersationis proprius. Quid hoc verò ad causam præsentis instituti? imò quidem aduersus eam, quæ in coena à nobis statuitur, corporis Dominici præsentiam?

8. Et tu Tossane Malitiosam vocare traductionem non vereris, cum à vobis corporis Christi in coena præsentiam negari tradimus, qui hoc ipso momento ex ore isto tuo verba hæc audimus, Ratione loci & situs, Corpus Christi tantum ab elemento panis distare, quantum coelum distat à terra.

9. Dicimus nos, Christum à Calvinistis in coena præsentem tantum statui efficacia atque operatione sua. Tossanus Vbiquitarios calumniæ reos peragit, qui clamant, Nullam præsentiam corporis Christi statui à Calvinistis. An igitur qui te efficaciam statuere dicit præsentiam, nullam te dicit statuere præsentiam? Viderit Tossanus, an non calumniator ipse sit: aut hoc potius non à semetipso dixerit, sed cum Pontifex sit huius anni Heidelbergæ, prophetarit, quod *ερεγγηλ. κλι* tantum statuere præsentiam, sit nullam in coena statuere præsentiam,

10. At promissio, inquit ille, ad hominem & propter hominem facta est: non ad panem vel propter panem. Barda profectò ratio.

Gen. 9. 11.

11. Dicitur est propter hominem, dicitur est etiam ad hominem: non erit deinceps diluuium dissipans omnem terram. Num si hoc nemo credat homo, irrita & invalida erit promissio Dei, aut aquis vel propter aquas facta esse dicetur?

### VISITATIONIS IIII.


THESIS.

ANTITHESIS.

*Estq; id verum & naturale corpus Christi, quod in cruce pependit, signetur tantum, & & verus ac naturalis adumbretur. sanguis, qui ex latere Christi fluxit.*

### T O S S A N V S I N

IIII. THESIS.

 *Orpus Christi, quod pro nobis traditum est: & quo anima nostra pascuntur est omnino verum illud & naturale corpus, quod ex virgine natum est, quod in S. Cæna discipulis assidebat, non autem in pane latebat, quod deniq; in cruce pependit, spectatumq; & contractatum fuit; non autem corpus aliquod infinitum & inuisibile, quale Christus nunquam habuit. Ita & sanguis, quo potamur ad vitam æternam, ille ipse sanguis est, qui die passionis, non verò*

verò pridie in Cæna, fuit realiter effusus, & ex lateribus eius fluxit; quem tamen Apostoli per fidem in S. Cæna biberunt.

IDEM IN THESIN NEGATIVAM IIII.

Calumnia simul & blasphemia est, dicere, Corpus tropicum ab illis statui, quos agnoscunt & fatentur Ubiquitarij colere & querere Christum in cælis & per fidem uniri corpori illi vero, quod mortuum est pro nobis, resurrexit & ascendit in cælum, ac si tropicum illud esset corpus.

RESPONSIO I.

CIRCULATORUM iterum agit Tossanus more gentis suæ consueto. Corpus Christi quod pro nobis traditum est, verum illud & naturale corpus, quod ex virgine natum est; quod in cæna discipulis assidebat, quod in cruce pependit, à nobis in cæna participari inquit. Magnifica sanè verba, quibus splendidiora & planiora proferre vix Lutherus poterat. Quis igitur hinc ὑπερβολον aliquid subesse suspicetur?

2. At meri fumi sunt, quos Tossanus vendit: Corpus enim intelligit, quod non est corpus Christi, imò ne quidem vlllo modo corpus. Quod vt luce meridiana clarius euadat, ex ipsius Thesi tale argumentum assurgat:

Si corpore Christi neq; visibili participamus, neq; inuisibili; nullo participamus.

At neutro illo participamus. Igitur nullo.

Maior manifesta est ex seipsa. Minoris membrum prius de visibili vltro largietur Tossanus. Alterum ipse impugnat, imò inuisibile corpus nunquam Christum habuisse asseuerat. Ipso igitur teste & iudice rata erit nostra assertio.



In 1. Cor.  
11.

3. Præstigias istas in aliorum Sacramentariorum scriptis planius licet cernere. Caluini verba hæc sunt: Nō mortis tantum ac resurrectionis suæ beneficium nobis offert Christus: sed corpus ipsum, in quo passus est ac resurrexit. Concludo igitur realiter, vt vulgo loquuntur, id est, verè nobis in cœna dari Christi corpus. Similia multa habet in Institutionibus suis.

4. Similiter Beza non beneficiorum tantum: sed substantiæ ipsius corporis ac sanguinis Christi in cœna communicationem fieri scribit. Imò idem in Synodo Ruperlana damnare ausus fuit eos, qui in negotio cœnæ noluerant vti voce substantiæ & substantialiter, de corporis & sanguinis Dominici participatione.

5. Sed audi, quomodo ipsis datum sit varijs linguis loqui. Caluinus enim sic alibi scribit: Efficaciter exhiberi in cœna dico Christi corpus, non naturaliter: secundum virtutem, non secundum substantiam. Et alibi. Eatenus corpus Christi nobis datur, nosq; pascit, quatenus in cœlo manens, ad nos virtute sua descendit. Viuificum carnis suæ vigorem in nos transfundit, non secus ac vitalis solis calore per radios vegetamur. Et alibi, vis & facultas illa viuificandi non incommode Abstractum aliquid a substantia dici potest. Et alibi, Nos non pascimur in cœna Essentia carnis Christi: sed sufficit spiritus virtus. Et alibi; Ingenue confiteor, mixturam Carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem qualis ab ipsis docetur, me repudiare. Quia nobis sufficit, Christum è carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare, imò propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro.

6. Et vt ἐπ' αὐτῶν φωνῶν, quod dici solet, deprehendantur, vnanimi consensu negant Calvinistæ, Amplius aliquid in cœna,

Epist. 5. ad  
Alem. f.  
57.  
Simlerus  
in vita Bul-  
ling. f. 43.

Defens. se-  
cunda con-  
tra Vves-  
soph.  
In defens.  
Consens.

In ratione  
Concord.

Contra  
Hesh. f.  
97.  
Instit. l. 4.  
c. 17. sect.  
31.



coena, quam in simplici verbo & Baptismo offerri, aut communicari: imò aliam Christi corporis in coena fieri participationem, quam quæ à priscis in usu Agni Paschalis facta sit. Iam nulla fit in verbo simplici & Baptismo, nulla in Veteris Testamenti Agno Paschali facta est, Substantiæ corporis & sanguinis Domini participatio. Mentuntur igitur Calvinistæ, quiquid de veri, naturalis, substantialis &c. corporis Christi participatione in S. Coena se sentire illi impudenter comminiscuntur.

Beza Cne-  
oph. f. 60.

7. Hac porro *υποβεια* (vt de acropoli causæ ipsius controuersæ nihil dicam) religionis Christianæ articulos primarios quatuor in discrimen grauißimum adducunt.

8. Primùm Marcion hæreticus Christum ex Maria non naturam & substantiam, sed speciem tantum externam humanæ naturæ assumpsisse docuit. Tertulianus ex naturalis corporis participatione, quæ fiat in S. Coena, hæresin istam refutare non dubitauit.

9. Arrius ad negandam Christi Seruatoris Diuinitatem argumentabatur, Ita Patrem esse in Christo, sicut Christus esset in nobis: At Christum non substantia carnis in nobis esse: sed tantum affectu voluntatis & vigore beneficiorum. Similiter igitur & Patrem in Christo esse. Hilarius refutandæ huic hæresi vtrumq; mysterium & incarnationis & Eucharistiæ Dominicæ adhibet: Eos nunc qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrumne per naturæ veritatem hodiè Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit: & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit?

De Trinitate  
l. 8. f. 102.  
&  
De essentia  
Patris &  
Filij. 675.

Tertiò

10. Tertiò articulum de resurrectione carnis nostræ, pia antiquitas ex hac ipsa naturali participatione carnis Christi roboravit. Qua de re iterum Hilarius loco utroq; allegato sic habet: Hæc vitæ nostræ causa est; quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per Patrem. Ergo nos naturaliter secundum carnem per eum viuimus, hoc est, naturam carnis suæ adepti.

11. Deniq; Veteris & Noui Testamenti discrimen in eo ponitur, quod istic umbra futurorum bonorum fuerit: hîc ipsa substantia rerum sit. Exolescet & hoc discrimen, & nos in Vetus Testamentum relabemur, imò de omnibus istis articulis periclitabimur, si impietati Sacramentariæ locum in præsentî materia concesserimus.

Hebr. 10.

12. Superfunt aliquot Tossani emblemata, quæ obiter perstringere hoc loco operæ precium est. Primum animas nostras corpore Christi pasci inquit. Sic Sacramentarijs loqui tritum est. Seiungunt igitur à coelestis illius cibi manducatione corpus humanum: indignum scilicet quod eadem dignitate societateq; in vsu istius boni fruatur. Dij boni, vt Seraphicè, vt Cherubicè.

Lib. de resurrectione carnis. c. 8.

13. Nos Tertulliani illud opponimus: Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Caro & anima non possunt separari in mercede, quas opera coniungit.

Luc. 24.  
31.  
Ioan. 8.  
19.

14. Adhæc Christum nunquam inuisibile corpus habuisse asserit. Quid ergo mi Tossane, cum coram discipulis in Emaunthe ἄφαντος factus est? Quid cum absconditus in templo per medios transiit ludæos, qui lapidibus ipsum obruturi erant.

25. Dices miraculosos & peculiare hos fuisse actus, qui naturæ interim non præiudicent.

Sanè

16, Sanè quidem. Sed confimiliter mysticæ dispensationis, non conditionis naturalis esse dicimus, vt cum visibili elementorum specie, Sacramentum vnum inuisibilis Domini nostri Iesu Christi caro & sanguis constituent, quæ si conditionē naturæ in hoc mysterio retinere, & sub oculis esse voluisset Christus, utiq; visibilia essent. Sed vt nullus horror sit cruoris, quemadmodum Ambrosius loquitur: sub visibilibus signaculis, res inuisibiles honorari Christo placuit.

De Sacramentis lib. 4. cap. 4.

17, Ex sapientiæ Heidelbergensis intimis penetralibus illud est profectum, quod colligit, Panem non posse esse Realiter corpus Christi pro nobis natum & datum. Ratione hac, Quia nec passio, nec natiuitas de pane illo Realiter prædicari possit. Ita nimirum Theologo isti Reale idem est, quod essentialiale siue naturale. Quem errorem corrigere in ipso tyrones vel Philosophiæ, vel Theologiæ poterunt.

## VISITATIONIS V.

THESIS.

ANTITHESIS.

*Sumi porrò corpus & sanguinem Christi non ore tantum, quæ fidei spiritualiter, quod etiam sursum, ad cælos extra Cœnam fieri potest: sed euebatur, non autem pane & vino quoq; Oraliter: Verum modo imperscrutabili & hyperphysico: idq; in pignus & obsignationem resurrectionis corporum nostrorum à mortuis.*

D

TOS-

T O S S A N V S I N  
T H E S I N V.

**C**eterum ut res terrena siue signum visibi-  
le ore terreno & corporeo sumitur; sic res caelestis siue  
anima cibus, qui in verbo promissionis (Hoc est cor-  
pus meum, quod pro vobis traditur) nobis offertur, fide man-  
ducatur & percipitur: non autem aliqua ratione huius seculi,  
ut Bucerus semper locutus est.

Non enim minus absurdum est, ore corporis manducari  
cibum spiritualem & caelestem, quam si quis diceret, ab anima  
percipi & comedi cibum terrenum & epulas corporales. Sicut  
& ridiculum est ac planè ἀτόπρον, Oralem manducationem  
vocare ineffabilem, imperscrutabilem, supernaturalem.

Cypria. de  
lapsis.  
Hier. ad  
Neapol.  
Aug. in lib.  
sent.  
Prosp.  
De Con-  
fui. dist. 2.

Nam quod corpus Christi in canistro portari, in arcam re-  
poni, in terram cadere, frangi, crucifigi, fragmenta eius asser-  
uari, sanguinem labijs tangi nonnulli Patres scribunt: id non  
in rei veritate: sed respectu signorum sacramentalium fieri &  
res ipsa docet, & monent pij Patres, qui se satis explicant, & τὰ  
μυστικὰ μυστικῶς, τὰ νοητὰ νοητῶς accipi iubent.

Nec sunt instituta Sacramenta, ut aliter quàm fide car-  
nem Christi datam pro nobis manducemus: sed ut fides confir-  
metur accedente signo visibili ad promissionem Euangelij.

I D E M I N A N T I T H E S I N V.

Nec minor est blasphemia, ita scurriliter de fide loqui, ac  
si inanis esset μετεωρολογία, ut illi his verbis scurrilibus vtuntur,  
Durch den Glauben sich hinauff schwingen / vñnd in Himmeln  
wollen steigen.

Error est, perceptionem corporis Christi traditi pro nobis,  
& quod eodem serè redit, applicationem non fieri sola fide; ves-  
rum etiam ore. Sicut calumnia est, eos qui fide corda ad Do-  
minum eleuari volunt, ἀεροβατεῖν & inanibus speculationibus  
indulgere.

R E S P O N -

## RESPONSIO I.

**H**ic demum rursus ex professo aduersarium agere  
Tossanus incipit, organum impugnans, quo à  
nobis Sacramenti perceptio fieri docetur. Illud  
verò os corporis esse à nobis statuitur.

2. Didicimus hoc primum magistro Christo, qui panem, quem corpus suum esse prædicat, Edi: Vinum, quem sanguinem suum esse testatur, bibi ex poculo iussit: non duo designans, sed vnum innuens organum Oris. Editur enim non nisi ore. Ex poculo bibitur, non nisi ore.

3. Mouemur & analogia Sacramentorum. Baptismo, vt & corpus, & animam abluat, non gemino opus est *δεκλινῶ*: sed sola id immersione, vel aspersione corporis perficitur. Sic sola præputij carne recisa, toti homini foederis signum obtingebat.

4. Suadent rationes. Sacramenta in genere visibilium *ἐ τῶν αἰσθητῶν* Deus esse voluit. Nam quamuis aliud in illis videtur, aliud intelligitur: dispensatio tamen eorundem ad externa diuinitus directa est. Generi igitur suo appropriatum habeant *δεκλινῶν* necesse est.

5. Accedit Ecclesiæ consensus. Augustinus in os Christi- Epist. 118.  
ad Ian.  
tiani corpus Dominicum intrare dicit.

6. Leonis sententia est, Hoc ore sumitur, quod fide Serm. 6. de  
Ieiun.  
creditur.

7. Calvinistarum diuersa est sententia, Ore, panem, fide, corpus Christi percipi. Qua Scripturæ autoritate? Nulla.

8. Non enim dixit Christus: Edite & credite; Bibite & fide percipite: Sed edite dixit, & bibite.

9. Si verbo edendi sensum credendi obtrudent: gemina absurditate implicabuntur. 1. Verbum vnum Edendi,

Edere &  
bibere.

in vno & eodem loco, duplicem significationem obtinebit, Manducandi, respectu panis: Credendi, respectu corporis. 2. Duo diuersa, & actibus ipsis distincta à Christo vocabula, vnā significationem acquirant, imò vnum etiam eundemq; actum notabunt. Hæc vndiq; sunt ἄλογα.

10. At res toto genere distantes, terrena & cœlestis, haud quaquam eodem modo & instrumento percipiuntur, inquit ille.

Ioha. 1.

14.

Matth. 3.

16.

Iohan. 1. 1

11. Coniunctim vera est foratio, si modū instrumento applices. Sed fiat seiunctio modi & instrumenti, Res toto genere distantes, licet non simul etiam modo eodem, eodem tamen instrumento quin percipiantur, nihil prohibet. Vidimus, inquit Ioannes, gloriam (verbi incarnati) gloriam quasi vnigeniti à Patre, Baptista vidisse Spiritum Dei descendentem sicut columbam super Christum dicitur. Apostoli audiuisse, oculis suis vidisse, manibus suis contrectauisse leguntur verbum vitæ. Res toto genere distantes viderunt hi & contrectauerunt omnes: viderunt instrumento eodem, Oculorum: contrectauerunt instrumento eodem, Manuum. At non modo viderunt contrectaueruntq; eodem: Columbam vidit Baptista πρώτως & immediatè; Spiritum sanctum mediatè καὶ δευτέρως carnem Christi viderunt palparuntq; Apostoli primò; Verbum vitæ secundariò.

12. Eadem est Sacramenti Eucharistici partium essentialium ratio. Ore totius Sacramenti fit perceptio, organo quippe vno. At modus organicæ huius perceptionis non est idem. Ore, panis primò atq; immediatè; Corpus Domini, mediatè & secundariò percipitur.

13. At animæ, inquit ille cibus est corpus Domini, ad cuius percipiendi dignitatem, os corporeum & terrenum non videtur idoneum.

Ex

14. Ex Eleufynijs facris hæc propagata videntur oracula, Rem cœlestem esse corpus Domini non ignoramus: At cur animæ solius cibus appelletur, rationem non assequimur, Cibum nos esse hominis Christiani dicere malumus. Si corporalis an spiritualis quæras: neutrum solum esse dixero: sed vtrunq; simul. Corporalem partim quatenus corpus est; partim quia corporis etiam humani salutis destinatus est: Spiritualem, tum quia spirituale corpus est; tum quia in usus spirituales cedere debet.

15. Ecquæ verò maior oris, quàm animæ sit prophæntas, vt hæc præ illo ad percipiendum corporis Christi dignior habeatur: Nulla, nulla profectò.

16. Obijcit aduersarius, Fide percipiendum, quod promissione offeratur. Tale autem esse corpus Domini, verbo illo promissionis, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, oblatum.

17. Promissionem fide capi meminimus. Habent enim hæc vt correlata respectum mutuum. Rem verò promissam qui fide itidem apprehendendam esse dixerit, perinde fecerit, ac qui panis esu abstinendum esse dixerit, quia promissio de pane quotidiano facta nobis: fide capienda sit.

18. Absurditatis obiectionem ne gry quidem moramur, cum ea non in analogiam fidei, sed rationis duntaxat humanæ iudicium impingat: Etsi valeat, vniuersas prope modum Christianæ religionis rationes euertat. Cui illud Hilarij opponimus, non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum. De naturali in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab ipso discimus, stultè atq; impiè dicimus.

19. Oralem manducationem non ineffabilem &c. appellamus: sed modum quæ fiat, & fieri possit, vt corpus Domini in coelis residens, nobis cum pane præsens exhibea-

D 3 tur,

rum, eum imperferutabilem, super naturalem esse dicimus. Confundunt autem subinde Calvinistæ quæstionem organi & quæstionem modi, quæ sunt diuersissimæ.

20. Præclare pro nobis facit, quod rei ipsi cœlesti Tossanus fatetur Patres ascribere, quod symbolis ipsis accidit. Sed orthodoxum antiquitatis sensum, distorta interpretatione: interpretationem rursus, inepta correctione statim contaminat. Id, inquit, nou in rei veritate fieri: sed respectu signorum sacramentalium. Si respectu signorum fit: fit tamen utiq;. Quo modo igitur non in rei veritate fieri dici potest? Sin reuera non fit, nullius respectu fieri dicendum fuerit. Quinam id verò fiat, & fiat quidem reuera: nec fiat tamen respectu sui, aut per se: sed fiat propter aliud: nuper est expositum.

21. Sacramentum porro non est institutum nisi vnum, quo carnem Christi datam pro nobis manducemus. Manducemus autem non fide: sed ore, eaq; sic in Sacramento manducata, fidem ceu sigillo confirmemus.

22. Sacramenta sicut essentia & natura à verbo differunt; ita etiam organo. Verbum fide apprehenditur, Sacramentorum igitur idem esse organum nequit.

23. Ut vtilia sint, fidem quidem accedere necesse est. Sed ut vsus rei cum re ipsa non est idem, ac proinde Sacramentum accipere potest, cui vsus tamen Sacramenti non obtingit: ita organum aliud sit oportet, quo Sacramentum accipitur, quam causa, qua ut id vtile sit accipienti, efficitur.

24. Depuduisse dixeris Tossanum, si expendas, quæ de patribus scribit, quos dicit saltem hoc scribere, Sacra illa signa, quæ à corpore percipiuntur, esse nostræ resurrectionis symbola: non autem manducationem veri & naturalis corporis Christi esse pignus & confirmationem nostræ resurrectionis.

25. In Canone Niceno habetur, in sacra coena non tantum



rum panem & vinum esse *τὰ πρῶτα*: sed etiam corpus & sanguinem Christi. Subiungitur autem, Et hæc (corpus sc. & sanguinem Christi) esse resurrectionis nostræ symbola. Ar- rige aures Tossane.

27. Irenæus inquit: quemadmodum qui est à terra panis, Lib. 4. cap. 34 percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & coelesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam (non dicit, sacra tantum signa: seu elementa panis & vini) iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

27. Idem: Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quib. augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur? Lib. 5.

28. Scurrilem blasphemiam vocat Tossanus, q̄ de Calvinistarum dogmate referimus, Fide euectis in cælum, istic corpore Dominico participandum esse. At sic blasphemus scurras facit ille religionis suæ socios atq; antistites, quorū formalibus verbis in relatione ista nos vfos esse, meminisse ille debebat.

29. Sic enim Beza in Creophagia sua: Calvinistas non negare: sed ponere corporis & sanguinis Christi præsentiam in cœna: non quod nunc sit in terris Christi caro: sed quod manens in cælis, nobis tamen per fidem in cælum vsq; euectis, verè per Spiritus omnipotentiam communicetur.

30. Idem: Reuerà à nostris oculis, ac proinde à loco, in Epist. 5. quo cœnam Domini celebramus, tam procul nunc abest Christi corpus, quàm abest cælum à terra: tamen quatenus hæc actio cælestis est, & fides nostra in cælum vsq; subuehitur, vt Christum quàm efficacissime apprehendat: hoc sanè respectu præsentissimam esse Christi carnem nisi fateris, cœnam Domini euacuas.

VISI-

## VISITATIONIS VI.

THESIS.

ANTITHESIS.

Oralis deniq; ista corporis & sanguinis Christi sumptio non fit à dignis duntaxat; sed etiam ab indignis, qui sine pœnitentia & vera fide ad S. Synaxin accedunt: verum euentus dissimili à dignis quidem ad salutem, ab indignis verò ad iudicium.

A dignis tantum accipi corpus Domini: indignos autem, qui fide ad astra euolante careant non nisi panem & vinum sumere.

## T O S S A N V S I N VI. THESIN.

**I**mpios, incredulos, impenitentes, hypocritas cum ritibus quidem & signis externis (ut loquitur Apologia Confess. Augustana) communionem nobiscum habere non autem cum donis celestibus profiteamur.

Testamentum enim Christi, illiusq; testamenti pretiosissimum legatum, corpus sc. Christi, datum pro nobis & sanguinem fusum ad remissionem peccatorum, proprium esse thesaurum filiorum Dei, & heredum vite aeternae statuimus.

Et alienum planè esse, omnes pia mentes nobiscum procul dubio agnoscunt, cibum animae, corpus Christi traditum pro nobis, & animae potum illum salutarem, sanguinem sc. fusum ad remissionem peccatorum, à nonnullis sumi ad iudicium & mortem, & reos fieri propter sumptum & participatum Christum,

stum, cum Christus categoricè pronuntiet: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam.

IDEM IN ANTI THESIS IN VI.

Incredulos, impenitentes & hypocritas (quos Scriptura canes & porcos vocat) eundem anima cibum cum Filiis Dei participare, nempe Christi carnem traditam pro nobis, merito negamus.

Item gloriosum Christi Corpus ingredi os corporis, & realiter deglutiri etiam ab impiis, qui promissionem in Cena Domini factam nec intelligunt, nec recipiunt, quasi ex opere operato, hoc est, ob illam externam perceptionem symbolorum, corporis Christi & sanguinis fusi ad remissionem peccatorum participes fieremus.

R E S P O N S I O I.

**N**ihil noui in hac quæstione tradit nostra Ecclesia de communione indignorum & hypocritarum. Sic enim expressè docuit Augustinus: Non interest cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam: Sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, vt homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.

Cont. Donat. l. 3. c. 14.

2. Idem alibi: Iudas proditor bonum Christi corpus & Simon magus bonum Baptisma Christi percepit. Sed quia bono benè vsi non sunt, mali malè vtendo deleti sunt.

Contra Fulgent, lib. 9.

3. Gregorius: Est quidem in peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro, & verus sanguis: sed essentia, non salubri efficientia.

Dial. lib. 4.

4. Et manifesta est ratio, Sacramenta non ab hominum fide, sed ab auctoris voluntate pendere.

E

Et

5. Et quemadmodum extra usum, Sacramenta esse: sic extra legitimum usum, non Sacramenta, sed utilia Sacramenta esse desinunt.

6. Quid Tossanus? Quid Sacramentarij? Primum hypocritas & impoenitentes cum ritibus quidem & signis externis (vt loquatur Augustanæ Confessionis Apologia) communionem nobiscum habere: non autem cum donis coelestibus.

7. Fides desideratur iterum in allegantibus. Malos & hypocritas membra esse Ecclesiæ dicit Apologia, secundum externam societatem signorum Ecclesiæ, hoc est, verbi, professionis, Sacramentorū. Verba hæc manifesta sunt. Sunt igitur hypocritæ sicut in eiusdem verbi & professionis: ita eorundem etiam Sacramentorum externa societate. Dicit quidem paulò post eadem Apologia, Hypocritas & malos esse socios veræ Ecclesiæ secundum externos ritus. At verba hæc deprauat, & ad sensum Sacramentarium detorquet Tossanus, Hypocritas cum ritibus & signis externis communionem nobiscum habere inquit, quasi Apologia inter signa externa Sacramenti & rem coelestem, Corpus sc. Domini diuortium etiam faciat. Quod tam est falsum, quàm quod falsissimum.

8. Testamenti & legati similitudinem haud illibenter accipimus: Sed si propriè loquendum sit, tum erit corpus Domini legati ipsius nomine censendum, si tabulæ instrumenti aut sigilla testamenti, in parte donorum legatorum haberi ceperint.

9. In absurditate reatus, ex manducato corpore Christi contracti obijcienda, iterum non nobis, sed Apostolo oggannit, qui panis benedicti manducatione indigna, impios expressè reos fieri pronuntiat.

10. Quod si absurditas ista procedat, quid prohibet, quò

quò minus in verbo Euangelij ( quod est verbum vitæ & salutis ) itidem locum habeat ?

11. Sic verò nō propter sumptum aut participatum Christum ( vt odiosè & cum Pleonasmō sententiam nostram refert Tossanus ) sed propter indignè sumptum Sacramentum corporis & sanguinis Dominici reatum iudicij & mortis impij contrahunt.

12. In allegatione loci Ioannis 6. Plurium quæstionum σφάλμα Tossanus committit. Neq; enim de ea, quæ fit Sacramento tenus, carnis Christi manducatione in capite isto agitur: sed de spiritali, quæ fit fide, & sic planè metaphoricè appellatur.

13. Impios eundem cum filijs Dei cibum participare: gloriosum Christi corpus, os impij hominis ingredi & similia, absurde videtur Tossano: sed dictamen rationis suæ consulenti sic videntur. Ita sanè & nobis videntur. Sed nos captiuamus interim rationem in obsequium Christi, ne quod Calvinistis magis magisq; contingit, nobis etiam usu veniat, vt vniuersa fidei mysteria, in dubium abire incipiant.

14. Ex opere operato vsq; adeò nihil salutis aut emolumenti indignè corpus Dominicum manducantibus pollicetur nostra doctrina, vt ex opere operante, quod vocant, in immensum illos terreat. Prout hoc si non vnum, primarium certè futurum est, quo iudicij ipsorum atrocitas exasperabitur, quod communibus vsi cum electis promouendæ salutis adiumentis, eorum usum apud se exolescere passi fuerint: imò tam tremendis mysterijs profanè abuti non fuerint veriti. A quo iudicio nos, cum electis

omnibus, vt seruet, qui seruatum venit omnia, tibi  
beata atq; alma Trinitas, in visceribus supplices nos sistimus.

A M E N.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs, with some lines appearing to be headings or section markers. The ink is very light and the paper is aged and yellowed.



94 A 7344

ULB Halle 3  
000 913 952




So.


Vb17

Mi. 70









THESES ET ANTI-  
THESES

**DE COENA  
DOMINI EUCHARI-  
STICA. IN QVARVM ISTIS,  
DE DOCTRINÆ LVTHERANÆ  
VERITATE. IN HIS DE SACRA-  
mentarij fermenti impuritate, in hoc  
religionis Christianæ capite  
disputatur.**

SCRIPTAE

**PRO EXPLICATIONE AC  
DEFENSIONE ARTICVLORVM  
IN VISITATIONE MISNICA PROPOSI-  
torum, aduersus ea, quæ carpere in istis nuper  
DANIEL TOSSANVS Sacramentarius  
Heidelbergensis impudenter  
ausus fuit.**

*In quibus disputandis*

SVB PRAESIDIO

**GEORGII MYLIIS.  
THEOLOGIE D. ET PRO-  
FESSORIS IN ACADEMIA IENEN-  
si primarij, Deo benè iuuante, re-  
spondere conabitur**

**M. NICOLAVS ROSTIVS  
VINARIENSIS AD DIEM IV.  
Augusti, Anno 1593.  
Hora & loco consuetis.**

IENÆ  
Typis Tobiaë Steinmanni.

13-3

